

יהונתן סלע

DISSERTATIONIS HISTORICO-
CRITICÆ

Pars Posterior,

JONAM

Mirabiliter

SERVATUM

Ex libr. Jon. Cap. 3. & 4.

Repræsentans.

Quam

Suffragante Ampliff. Facult. Philosophica,
in Regia Academia Aboënsi,

PRÆSIDE

Rectore h. t. Magnifico

M. JOH. HAARTMAN

Phil. Theor. Profess. Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publice D. V. sistet uberius examinandam

Alumnus Regius

JONAS FRONSELL

V Gothus.

Die 18 Martii 1732. horis locoq; solitis.

ABOÆ, exc. R. Ac. Typ. Joh. Kiämpe.

VIRIS ac Dominis Maxime Re-
In Facultate Philos. ad Au-

M. JOH. HAARTMAN,
Philos. Theor. Profess. Reg & Ord.
nec non P. & P. in Nāndānāsi lau-
datissimo h. t. R. Magn.

M. NIC. HASSELBOM,
Mathes. Professori Reg. & Ord.
Patronis & Promotoribus Optimis at-
nis cultu æ.

Quod nomina Vestra, Patroni & Pro-
nuerim dissertatiuncula, beneficia &
in me exstiterē tanta, ut vix aliqua ma-
fligere queat, quam non statim jucundis-
discutiat. Accipite queso vultu beni-
ac pro ut hucusque propensissimo Vestro fa-
plecti ne gravemini. Quod meum est, nun-
citabo supremum; ut Vos salvos & sos-
Reipublica usus magnos quam diutissime
teresse jubeat, ac tandem permultis emen-
sempiternis

Maxime Rever. atqve Am-

Cultor
Jonas

*verendis atque Amplissimis,
ram Professoribus Celeberrimis:*

M. ALGOT. SCARIN,
Histor. & Moraliū Profess.
Ord. & Reg.

Dn. ISAAC. BJÖRNHJÖRD!
Sacri. Ling. Professori Reg. & Ord.
que Exoptatissimis, omni veneratio-
tatem prosequendis.

*motores benignissimi huic præfigere susti-
Vobis in me abunde collata effecere; que
lorum præteritorum memoria me adeo ad-
sima illorum recordatio supprimat aut
gno hanc gratitudinis meæ appendicem,
vove me suffultum voluistis, sic porro am-
quam non precibus assiduis Nomen solli-
pites in sui nominis gloriam, Ecclesiæ &
omni rerum cum successu & præesse & in-
sis annis felicitatem Vobis largiri velit
ternam.*

pliff. Nomin. Vestror.

*Devotissimus
Fronsell.*

Plurimum Rever. atque Doctiss. Domino,
Dn. GUDMUNDO ROTHOVIO,
Pastori in Hammarland Alandiae vi-
gilantissimo, fautori & benefactori
venerabunda mente suspiciendo.

VIRO Spectatissimo,
Dn. SVENONI COLLEEN,
Prætori Territoriali per Alandiam
laudatissimo, Fautori literarum atq;
amico meo integerrimo.

*O*B multa in se collata beneficia, hunc
& perpetua observantia signum, nec
calidissimis pro perenni vestra incolumita-

Plurim. Reverend. Doctissim. atque

Culter
Jonas

Experientissimo Spectatissimoque Domino,
Dn. JONÆ SYNNERBERG,
Pharmacopolæ urbis Aboënsis soler-
tissimo, Nutritio liberalissimo, qua-
vis observantia prosequendo.

Dn. PETRO STRÖMAN,
Civi & Mercatori inter Holmenses
honoratissimo prudentissimoque, fau-
tori indefinenter venerando.

*rudis Minervæ fœtum in gratissimi animi
non spem ulterioris favoris, cum votis
se, sacrum esse voluit:*

Spectatissim. Nom. Vestrorum.

indefessus
Fronsell.

Minom Högårade Kiäre Fader,
SWEN JONSSON/

JWad skulle iag framgifwa,
Som gillat kunde blifwa,
Ut Ehr, min Far, för godt.

J wüjt förutan ända,
Hwad hålft mig skulle lenda
Til gangs, med rågat mått.

När under friget långa,
Beswår Ehr ganska många
Wälades; men då måst,

När i måst resor flera,
Med swårhet ut mondera
Wåd' Ryttare och häst:

För mig J ändo! spara
Låt aldrig, utan fara

Hwad mista war Ehr swårt.

Mig ofta så tildeltes,
Ut i hushället feltes;

För min skuld stod i hårt.

Til godo thessa rader

Lag gunstigt Kiäre Fader,

Jag nu ej mer förnär

Ehr gifwa; Gud Ehr hägne,

Och äldren än förlänge

J walgång flera år!

Til thes han tackes ända

Ehrt lif; min Far då lunda


Må här ifrån förnögd,

Och gå med them, som dragit

Ha dagsens tunga stadiat,

Til himla ro och frögd.

Min högårade Faders lydigste Son
Jonas Fronsell.



§. 1.

Viam ad institutum pandit.

SI philosophus gentilis Cicero agnovit ex principiis rationis, quod necessitas ferenda conditionis humane quasi cum Deo pugnare prohibeat, quanto magis oportet christianos ut non solum adversam; sed etiam funditus everfam fortunam fortiter ferant, resque suas omnes in spe atque silentio Deo commitant. Nam præter historicorum profanorum monumenta, sacra pagina falli nescia, i-

A

plaque

psaque nos quotidiana experientia satis superque docet, quod ipso supremo Numine volente, miseræ humanæ turbines & procellas, exoptata non solum: sed inopinata sæpius rerum secundarum sedaverit atq; compresserit tranquillitas; dum pii mortales animo patienti & constanti fortis afflictæ permutationem expectarunt certissimam; quod etiam hisce confirmat Poeta christianus.

Lucta crucis gravis est, sequitur victoria certa,

Si sint arma preces, spesque fidesque tibi.

Exemplo sit jam nobis Jonas Propheta; hunc si quenquam alium debita animi patientia, sub ipsis suspiriis ardentissimis servatum, ex hac levi, de mirabili hujus Jonæ conservatione, dissertationicula deprehendimus. Nam se-

met

met ipsum vanis non excruciat cogitationibus, nauas ob injurias sibi illatas fannis & calumniis non excipit vel exæcratur, sed summa animi lenitate divinum sperat atque expetit auxilium: quapropter vivus & illæsus in terram maturius expectatione profiluit, & piscis qui mortis quasi destinatus fuit executor, salutis post demum factus est promotor exoptatissimus. *Sic spes confisa Deo nunquam confusa recedit.*

§. II.

Locum, quo piscis Prophetam evomuit, inquiri.

DE loco illo ubi monstrum illud marinum nostrum Jonã exposuit, non conveniunt omnes. Sulpitius & nonnulli cum eo putant ad Niniven (a); alii cum Josepho ad Pontum Euxinum (b) factum, alii alias hac de re conjecturas faciunt, quas jam

lubens omitto, Ad Ninives loca piscem peregrinationis marinae socium Prophetam reliquisse haud perspicio, cum a mari procul sitam fuisse hanc urbem map-pæ geographicæ demonstrent. Nec ad littora maris nigri illum fuisse servatum mihi persuadere possum, cum bellua marina ob vastissimam corporis molem sit motus tardioris; ut intra triduum non videatur potuisse iter tam spatiosum absolvere per mare scilicet mediterraneum, Archipelagum, Propontidem & Bosphorum Thraciæ, quæ loca penetrare necesse prius habuisset, quã Pontum ingredi Euxinum ipsi licuisset. Nos vero cum Pfeiffero aliisque Viris Clarissimis ad oras Palæstinæ, non procul a portu Joppensi, unde primum solverat, expositum, indeque Jerosolumam, ut Numinis divi-

ni, in re ipsi jam satis ambigua, voluntatem exspectaret, rediisse & itinere deinde terrestri Nini-ven contendisse putamus (c). Longitudinem dimigrationis in mari a pilce emensæ, quam quum scriptor Divinus rerum abstrusarum index alias verissimus & accuratissimus exprimere noluerit, nos eandem meras per conjecturas cum Rabbinis, qui pilcem noncentas & sexaginta quinque parasangas cum Jona autumant absolville, defendere sententiam nolumus: sed huc atque iluc divagatum fuisse & tandem jubente Summo rerum Moderatore, loco supra citato evomuisse, statuimus.

(a) *Sulpit: Sever: hist: sacr. pag.*

68 (b) *Joseph: Antiq. Jud: lib. 9 c: 11.*

(c) *Pfeifferi prælect: in Jon: confer Job:*

Schüßē in apparat: Bibl: pag. 909. 910.

Causam, cur Nineven ablegatur, exponit.

Rempublicam Assyriorum tam in cultu Numinis supremi, quam rebus in civilibus fuisse isto ævo corruptissimã, unanimi consensu fatentur Historicorum monumenta. Tempore namque Nini 2di. cultus idolorum superstiosus adeo invaluit, ut veræ religionis nulla fere exstarent vestigia atque indicia (d). Imperatores enim Assyriorum a Nino ad Phul Belochum usque descendentes superbiam, luxuriam, libidinem aliasque pestiferas voluptates tanti æstimarunt, ut ab illarum exercitio nulla ingruentis mali vis eosdem deterrere poterit. In palatiis splendide exstructis atque exornatis, aut aliis in locis ubi cum pellicibus comode

vive-

re potuere, illos latitasse, rarissimeque aliis sese conspiciendos præbuisse, illorum seculorum scripta enarrant. Ut ex arbore vitiosa surculi boni sua operâ raro exsurgunt; ita ex Imperatoribus malis & libidinosis, nec liberi semper proveniant bene morati, nec cives commoda ex his reipublicæ capiunt exempla; adeo ut huc optime applicari queant verba Horatiana:

*Ætas parentum pejor avis tulit
 Dicitur nequiores, mox daturos
 Progeniem vitiosorem (e)*

In Assyria solertem & bonam juventutis educationem admodum fuisse neglectam non adeo mirandum; cum apud imperatores tantis in deliciis haberentur flagitia, ut virtutum officinam earumque culturam ab aulis suis fere

fere exterminarint. Ex tam præ-
 postera honestatis proscriptio-
 nē, varii generis vitia, encomium &
 patrocinium apud plerosque in-
 venere tantum, ut summi rerum
 moderatoris favorem plane ami-
 serint, & iratum ejus animum
 cives corruptissimo vitæ institu-
 to in semet converterint. Sed
 si præcise regem, qui tunc tem-
 poris Assyriis præfuerit, deter-
 minare voluerimus, vix omni-
 bus satisfacere poterimus, cum
 ea in re non unam, sed diversas
 sæpiuscule & ambiguas, scripto-
 res rerum Historicarum foveant
 sententias. Nos vero ipsam chro-
 nologiam, ut basin hujus deciden-
 dæ quæstionis, circumspeditione
 qua fieri potuit, attendentes,
 suffragio virorum fide dignissi-
 morum ætate Phul Belochi, vi-
 vo tamen adhuc in Assyria Sar-
 danapalo, omnium imperatorum
 esse.

effeminatissimo post obitum Je-
 roboami 2:di sub interregno I-
 fraëlitico, ut videtur anno mun-
 di 3241. vel altero insequenti
 Niniven adventasse Prophetam
 Jonam existimamus (f). Femi-
 narum pelliciarumque conversatio-
 ne indies delectari Sardanapalum
 cum Arbaces Mediæ præfectus
 indultu spadonis cujusdam no-
 mine Parameizes conspexisset,
 rei indignitate commotus in re-
 gem animum suscepit infensum.
 Talem vero transegisse eum vi-
 tam in sequentibus refert Dio-
 dorus Sículus: *Sardanapalus a Ni-
 no trigesimus rex, ultimus vero As-
 syriorum, excessit omnes superiores
 luxuria atque ignavia. Nam præ-
 terquam quod a nullis exterius con-
 spiciebatur, vitam muliebrem duxit,
 cum pellicibus veste tum purpurea in-
 dutus, tum molli lana contexta. Sto-
 ba insuper muliebri faciem totumq;*

*corpus in modum meretricis fuso
 componens, ultra luxum muliebrem
 lasciviebat: vocem feminam loquen-
 do imitatus. Non solum cibum po-
 tumque, qui voluptatem praberet,
 continuo appetebat, sed luxuria quo-
 que deditus nunc viri nunc muliebrī
 vice abutebatur omni posthabita sexus
 ac pudoris cura (g). Arbaces ergo
 conspecto rege his voluptatibus
 dedito, instinctu Belochi viri in-
 ter Babylonios artis astrologicae
 peritissimi, regno Sardanapali
 Arbacem potiturum praedicentis,
 imperium affectare coepit: fa-
 ctaque cum Belocho conspirati-
 one, instructo exercitu regem
 adoritur. Seditiois auctorem
 prospero cum successu aliquot
 vices prostravit Thonosconcole-
 ros, fortunam vero non uno eo-
 demque semper stare vestigio
 haud considerans, ad pristinas,
 ut refert Diodorus, rediit deli-
 cias.*

cias. More solito una cum militibus regem epulantem ex improvise aggreditur Arbaces, eumque eo proelio penitus dejecit. Urbem deinde obsidione cinxit, cujus expugnatio licet primo fuerit admodum difficilis & molesta, inundatio tamen Tigris muros ad stadia viginti destruens faciliorem demum reddidit. Rex cum diutius se in urbe non fore tutum cognovit, eam relinquens in arcem una cum concubinis, ubi secrete delitescere se putavit, semet contulit & Nineven post illud tempus nunquam redivit. Urbem cum occupasset Arbaces, ejus administrationem rebellionis socio Belocho tradens in Mediam abiit. Sardanapalus vero regia dignitate spoliatus, cum omnia annis insequentibus sibi fieri arctiora, nullamque spem impe-

rii potiundi amplius superesse
 cognovit, re desperata vitam
 voluptatibus infamem, anno post
 obitum Belochi sequenti: mundi
 vero 3257 ab exordio imperii 20
 vivicomburio finivit (b). Ad Be-
 lochum quod attinet, fuit nec il-
 le adeo bonæ frugis ut refe-
 runt Historici (d). Quod ad
 favorem novi regis captandū
 ditiores & potentiores fuerint
 compositi; quodque in aures e-
 jus consilia sibi maxime utilia in-
 susurrarint, adulationibus & mu-
 nerum oblationibus quovis mo-
 do studentes, istorum tempo-
 rum conditio non refragatur.
 Unde contentiones inter incolas,
 pauperum oppressiones, cædes,
 rapinæ, honorum nundinatio-
 nes & præmiorum iniquæ & in-
 justæ irrepsere distributiones:
 vitia sua potentiores impune tu-
 lerunt, inferiores autem delicta
 etiam

etiam minora pro horum lubitu, susque deque habita omnifere justitia, severissime sæpius fuisse non dubitandum. Ex quo diutino pietatis neglectu & injusto regiminis exercitio factum, ut flagitia & quævis scelera ad summum excreverint fastigium. Vitiorum enim incrementa, virtutum decrementsa semper insequuntur. Ut itaque ad meliorem frugem redirent Ninivitaë, ablegatus ad ipsos fuit Propheeta, si urbis excidium evitare vellent.

§. IV.

(d) *Johan Hubners Politische fragen Tom. I. pag. 181.* (e) *Horat. lib. III. od. 6.* (f) *Poli Crit. Sacr. volumen III. pag. 1810.* *Nobilissimi Johan Peringskiöld Bibliſke Slächtregistret pag. 27. confer Henninſii Theſe. Geneal. & Johan Schmidt Bibliſcher Hiſtor. pag. 735.* (g) *Diodor.*

*Sicul. pag. 55. (b) vide supra citatum
Peringskiöld. (i) confer Polum & Ca-
lodium in Jonam & Diod. Sicul. p. 56.
§. IV.*

*Operam Jonæ, in convertendis
Ninevitis, refert.*

ITa in ventre piscis, ceu car-
cere durissimo cum contuma-
ciæ suæ Propheta dedisset pœnas,
Deo iterum vocanti paruit, &
festinatione qua fieri potuit, pe-
regrinationem fuga antea renun-
ciatam, animo suscepit prom-
pto, indeque itinere terrestri ad
locum in Assyria designatum per
Mesopotamiam contendit. Qua
autem fide & industria munus
suum ibi obierit propheticum ex
salutari ejusdem eventu est ju-
dicandum: intra spatium enim
temporis perexiguum cives ma-
gnis multisque inquinatos vitiis,
ad meliorem revocavit frugem.

Ur-

Urbem Niniven; celeritate quã
 ta ratio muneris permisit, ob-
 ambulans incolarum mores fla-
 giciosos verbis asperioribus per-
 strinxit atque redarguit, Nini-
 ves eversionem intra dies paucos
 adesse, eosque, ni resipiscerent
 vitæ fatorumque exitum exper-
 tuos fore miserrimum & tristis-
 simum, vultu imperterrito pro-
 nunciavit. Haud difficulter cum
 Walthero induci possumus illum
 Ninivitis exposuisse, quod a
 Deo Hebræorum per totum ter-
 rarum orbem celebratissimo, ad
 denuntiandum illis, quam gravi-
 ter improbitate sua illum offen-
 dissent, fuerit transmissus: &
 hanc ob causam malum immi-
 nens, declinare tamen morum
 emendatione possent: nec ver-
 bis in sacro codice tantum in
 compendio expressis, sed fusius
 & copiosius, voce tanquam ful-
 mi.

minea orationem suam eis proposuit. Credibile etiam est ut vult Waltherus ipsum varia vindictæ divinæ documenta, ut mundi per diluvium submersionem; Sodomæ & Gomorrhæ interitum & Pharaonis in rubro mari suffocationem &c. Ninivitis enarrasse (*k*). Comminationes prophetæ gravissimas auribus cum excepissent oppidani remotis omnibus obstaculis, verbis ejus fidem habentes, suum mutarunt animum. Ad regis aures, Belochi puta, cum nuncius iste tristissimus pervenisset, rei gravitate percutus, pallium auro gemmisque pretiosis exornatum, cum aliis insignibus regalibus deposuit, vestimento inferiori, e cannabi aut alio lino confecto indutus, publico per præcones edicto abstinentiam a cibo & potu incolis cum
 jumen-

jumentis & pecoribus accuratissime habendam indixit (l). Quam diu autem Ninevitæ injunctum servarunt jejunium non adeo constat, quidam ad tres tantum dies illud restringunt; alii vero putant quod intra dies quadraginta (quibus finitis urbs secundum Prophetæ vaticinium esset everfura) parce admodum epulati fuerint, & certis præterea diebus, præceptis abstinentiæ strictissime obtemperando, voluptati bellum plane indixerint (m).

(k) Mich: Waltheri Harm. Bibl: pag: 698 (l) Jon: 3. 7. 8. (m) Pfeifferi prælect: in Jon: Confer Explic: Bibl: Gezelii in eundem pag: 1318.

§. V.

Urbem ab interitu liberatã describit, ejusq; deinceps fata enarrat.

UT enim tempora, ita quoq; Urbes & aliæ societates civiles suas obtinent vices suaque

B

ha-

habent incrementa & decremen-
 ta: lubrico enim pede stant o-
 mnia, & variis vicissitudinum ge-
 neribus sunt obnoxia; adeo ut
 res humanæ in perpetuo vix un-
 quam constiterint flore; id, præ-
 ter alia monumenta florentissi-
 ma quondam Assyriorum urbs
 Ninive satis comprobat. Orig-
 nem hujus nosmet proferre dum
 instituimus, eandem in Assyria ve-
 tustate & venustate excelluisse
 reperimus. Assur namque No-
 achi e Semo nepos & Nini pa-
 ter in amœnissimo loco ad Ti-
 grim fluvium eam fundavit & a
 filio Nineven denominavit (n).
 Ninus urbem a patre fundatam
 & suo nomine insignitam, sedem
 Assyriorum regiam constituit.
 Illam deinceps ita ædificiis, mu-
 ris aliisque muniminibus ampli-
 ficavit, stabilivit & ornavit, ut
 splendore & magnitudine in to-
 to orbe nulla, neque ipsa vel

Babylon, cuius tamen ornamenta inter septem mundi miracula numerantur, eam superavit; nam πολὺ μείζων τῆς Βαβυλῶν Ⓞ erat si fides est Straboni (Ⓞ). Diodorus Siculus ejus descriptionem talem sistit. *Dua muri partes longiores erant reliquis. Horum latus quodq; longitudine est stadiorum centum & quinquaginta, breviorum vero stadiorum nonaginta. Qua muri dimensione ambitus stadia complebitur quadringenta & octoginta. Et sane spe sua nequaquam frustratus est. Nulla enim postmodum urbs tanto ambitu, tantave mœnium magnificentia constructa est. Altitudo murorum pedum est centum; latitudo qua tres currus simul perambularent. Turres mille & quingente, quarum altitudo pedum est ducentorum, habitare eam fecit majori ex parte Assyrios & quidem potentissimos quosque. Ex reliquis nationibus voluntarios assumisit. Agros propinquis habitatoribus*

divisit (o) Magnitudo autem ur-
 bis itinere triduo in sacris de-
 lineata, non de sola longitudine,
 sed de tota illius peripheria quin-
 decim milliariibus Germanicis
 constante, & trium dierum pro-
 fectioni haud incongrue respon-
 dente, est intelligenda; ut cum
 aliis observat Aben Esra סביב
 המדינה urbis ambitum idem apel-
 lat, facer codex א"י לאלהי
 אֵלֶּיךָ illam nominat (q): singu-
 las enim fere domos potentio-
 rum præcipue, vicorum instar,
 hortos & prædia conjuncta ha-
 buisse placet etiam quibusdam
 (r). Fata Nineves etiam tem-
 poribus insequentibus vitæ inco-
 larum se attemperarunt; illa dum
 fuit flagitiosa, graviolem eis
 plerumque conciliavit sortem.
 Vitia cum urbis accessionibus
 paria ferme habuere incremen-
 ta, ut enim ætate Sardanapali
 incolarum multitudine & opum
 afflu-

affluentia abundavit admodum
 ingenti; ita quoque variis ne-
 quitiae & pravitatis notis insignis
 fuit. Benignis vero auribus ad-
 monitionem Ionæ accipientes vi-
 tam scelestam mutarunt & im-
 minentem Ninevitæ tunc evita-
 runt ruinam. Annos vero post
 pene ducentos extremæ impie-
 tatis luto ob regis deinceps re-
 gnantis disciplinam corruptissi-
 mam cum semet iterum conta-
 minassent oppidani, urbs a Cya-
 xare rege Medorum stragem a Na-
 humo & Zephania prædictam (r)
 accepit tam funestam & acerbā,
 ut ex eo casu ad pristinū splendo-
 rem & dignitatis fastigium adhuc
 non surrexerit Eodem vero in lo-
 co vel non procul exinde aliud,
 amplitudine & magnificentia pa-
 go potius rustico, quam priori
 finibus, a Saracenis hoc ævo
Mosulum nominatum oppidulum
 existare hodiernorum historico-
 rum

rum monumenta perhibent (N). Sic prisca Ninevitarum desit luxuria & arrogantia. Posteriores eorum jam mente occæcati semine verbi divini incorruptibili spoliati stercore jam tædissimo vescuntur Mahumedano; eaque urbs, quæ oraculis propheticis quondam inclaruit, densissimis errorum nebulis obducta perniciosissimam nunc profitetur religionem. Hac etiam pœna ut gravissima, pertinaces suæ legis transgressores, lento ad vindictam licet procedat gradu, eminentissimus rerum humanarum arbiter atque vindex tandem prosequitur.

§. VI.

(n) *Gen. 10. 11. Nibum. 2. 9. Christoph. Cellarii Notitia Orbis Antiq. Tom. II. pag. 769. Mich. Waltheri Harm. Bibl. pag. 685. Plinius libr. VI. cap. 13. (o) Strab. lib. XVI. (p) Diodor. Sic. pag. 46. (q) Joan. Francisci Buddei Hist. Eccles. V. T. Tom.*

post. pag. 592. 593. (r) TARMOVIVS in
 Jon. pag. 85. (s) Nabum. cap. 1. 1.
 cap. 2. 8. 9. 10. Zeph. 2. 13. 14. 15.
 Mich. Waltheri Harm. Bibl. pag. 686.
 (ff) Johan Hübners kurze Frag-
 gen aus der Neuen und Alten
 Geographien pag. 827. confer Dru-
 sium in Jon.

VI.

*Causam indignationis propheta
 exquirere tentat.*

FOvit propheta eam opinionē,
 ut indubitato, aliqua saltem
 calamitate, si non totali urbis cla-
 de incolarum malitiam vindica-
 ret Deus, paulo ante itaque tem-
 pus excidii determinatum, ur-
 bem reliquit, & in locum ab ur-
 be orientem versus forte editum,
 &, ut putavit sibi ab ingru-
 entibus malis satis tutum se
 recepit: a quo in urbem com-
 mode posset prospicere, tu-
 guriolumque illic ad cœli vitan-
 das injurias sibi e ramis frondi-
 fe-

feris exstruxit. Præter opinio-
nem vero cum accidisset, & Ni-
nevas vidisset servatos, dolore
exardescens Jonas Ninevitarum
liberationem ut iniquam & inju-
stam reputavit. Causas ejus in-
dignationis varias viri eruditi,
conjecturis potius quam aucto-
ritate probabiles adferunt. Non-
nulli Prophetam ægre tulisse ex-
istimant, Ninevas tam paucis
emendatos monitis, Israëlitis tam
multis, longiori certe tempore,
oraculis prophetarum excitatis
fore opprobrio (r). Alii illius
exacerbasse animum, quod ob
externam tantum resipiscentiam,
quam tamen ut fucatam penes
multos respexit, veniam impe-
trarint. Hisce aliisque examinatis
atque rejectis opinionibus, suam
ista in re mentem tali modo ex-
primit Pfeifferus: *At nec iis con-
versionem & æternam salutem invidi-
dit, quin omnibus potius, quibus po-
tuit,*

tuit, modis iudisse & promovisse videtur. Sed quantum iudicamus, putarat Jonas decretum Dei de excidio temporali Nineves esse absolutum & securum, licet maxime pœnitentiam agerent & eternam salvarentur. Cum vero lapso tempore definito videret Nineven non averti indignatus est se fuisse pararium opprobrii & damni suorum, quibus nunc indifus & infamis redux futurus fit, quod servaverit sua concione Assyrios quondam armandos; nec de fore inter suos suspicatus est qui se ceu pseudo-prophetam traducerent (tt). Mihi non succenseant eruditiores si meam aliter conceptam referam sententiam. Facile mihi persuadere non possum, omnes in civitate illa populosissima, præter eos quibus rationis & iudicii discretio non dum fuit, qui ut ejus concionis non capaces; ita nec urbis, si contigisset, excidii causa esse potuere, verbis pro-

prophetæ regisque edicto adeo
 morem gessit, ut nullus flagi-
 tiorum exstiterit cultor. quod
 non oraculis divinis; sed durissi-
 mæ illorum contumaciæ adscri-
 bi debere, quisque saniora edo-
 ctus invenit. Aliquos itaque re-
 pertos fuisse existimo, qui vi-
 tam flagitiosam non mutarint,
 quique icelerum libidine incor-
 rigibili severissimas cælestis Nu-
 minis minas pertracte eluserint,
 Divinam in hos indulgentiam
 Zelo præpostero forte indigna-
 batur, quod hi una cum pœni-
 tentibus omnem penitus suæ pra-
 vitatis ultionem evitarint. Cle-
 mentia antea Sodomæ incolis
 oblata plane immemor, quos
 Deus perdere noluit, si honesti-
 oris vitæ initium facturos solum-
 modo ibi decem perspexisset (u).
 Ninevitarum namque pœniten-
 tiam veram & Deo pergratam
 fuisse sacer asserit codex, sed ab
 omni-

omnibus absolute factam expresse non designat.

(t) *Joh. Drusus in Jon. 590. (tt) Pfeifferi prælect. in Jon. Tom. op. II. pag. 1101. (u) Gen. 18. 32.*

§. VII.

*Arboris Ephemeræ qualitatem
& propheta mortem indigitat.*

Ubi habitaculum construxerat propheta frondosum, etiam exorta est arbulcula, ante vel post non facile dixerò, quæ contra æstum solis impetuosum ei magno fuit præsidio, e qua refocillatus voluptatem accepit magnam. De ejus vero specie & qualitate multum disceptarunt Viri clarissimi: eam namque nonnulli hederam, quidam cucurbitam, alii ficum, alii cucumerem, alii platanum, vitem iterum quidam albam, alii ricinum volunt, alii alias species arborum producunt. Eorum vero argumenta, qui ricini qualita-

lita-

litatem ei adscribunt ut admo-
 dum probabilia admittit Pfeif-
 ferus, eandemque Arabice اندر
 & Græce κερτων appellari præ-
 tendit (v). Polus huic sententiæ
 totus inhæret, & vocabulum in
 textu hebræo קיקיון herbæ Æ-
 gyptiacæ כיקי nominatæ qui i-
 dem est ac ricinus ob magnitu-
 dinem foliorum & proveniente[m]
 exinde umbræ densitatem, abje-
 ctis ultimis tribus literis, quas
 non ut essentielles sed tantum
 paragógicas respicit, convenire
 contendit (w). Quæ sententia
 inter alias videtur probabilissi-
 ma, eandem nempe arbuscu-
 lam ricini speciem repræsentas-
 se, sine femine modo hyper-
 physico exortam, tantæ altitudi-
 nis, ut habitaculo constructo ad-
 mota, umbraculum præberet
 Prophetæ percommodum. Præ-
 ter venustatem, qua eum dele-
 ctavit, odorem etiam haud in-
 gra-

gratum hinc cepisse, gaudium exinde susceptum Jonæ comprobare non incongrue videtur. Ex eadem planta, dum floruit, ut lætitiā habuit ingentem; ita etiam dum evanuit, ira & dolore incensus fuit non minimo; vermis enim præter opinionem pulcritudinem illius penitus sustulit. Qvalis ille fuerit non minus operose a multis disceptatur; cum alii erucam, alii terebinthum illum fuisse fingant. Nos vero tacente scriptura scrupulos nemini obtrudere volumus, sat esse putantes, quod munus a Deo ipsi destinatum exequi valuerit. Quod ad locum attinet ubi noster Propheta obierit, de eo inter se adeo disputant eruditi, ut nimia disceptatione in re ambigua, veritas potius amitti videatur. Nonnulli in Assyria illum remansisse putant; alii in Mesopotamiam, quod probabilius vide-

detur, rediisse, ibique anno ætatis centesimo & vigesimo exspirasse contendunt (x).

(v) Pfeifferi prælect. in *Jen. Tom. oper. II. pag. 1164.* (w) Poli. critica sacr. *Volum. III. pag. 1823.* (x) Otto Dapper in *Descript. Assyriae & Babyl. pag. 117. confer. Thevenot. in itinere Orient. lib. 2. cap. 55. pag. 293. & Chronic. Judæorum Seder. Olam. Quod fidei debeo Peringskiöldii.*

§. VIII.

*Paralelismum Prophetæ qualem
cunque ejusque Antitypi sistit.*

Licet in accurato veritatis scrutinio, viro sapienti ac prudenti quam maxime incumbat, tam in suis formandis conceptibus, quam in aliorum opinionibus examinandis, suam adhibere operam & circumspersionem, ne ulla divulget scripta, quæ absurdas quasdam clam aut aperte insinuare possint

sint confequentias. Omnibus tamen temporibus exstitisse viros etiam eruditos dolemus, qui falsa mentis persuasione inducti, tumidaque ambitione inflati, hujuscemodi ingeniorum suorum orbi literato obtruserint fœtus, qui præter novitatem vix quidquam habent, quo cordatiorum lectorum fidem & favorem sibi conciliare possint, quum rudiores & simpliciores ad noxia potius, quã utilia sectanda & credenda alluciant atque invitent. His accenseri meretur fœtus, quem inter alia eruditionis suæ documenta, non sine stupore & indignatione bonorum omnium, exitiosa curiositate & temeraria audacia impulsus in lucem produxit, brevi ab hinc temporis intervallo Helmstadiensium alias eximius Professor (y); quo Prophetæ vitam & mirabilia fata cum regum Judæorum Josiæ & Manassis

sis comparare iustinet; & ut
 novum est commentum, ita no-
 vitate sua non tantum est suspe-
 ctum, sed quod nec meretur cal-
 culum ab ullo qui accurata ani-
 mi attentione illud idem pensi-
 tat; nam ipse Messias Jonam ut
 typum sui verissimum agnoscit
 (ε). Convenientiam typi cum
 antitypo, heic loci non plenam
 & sufficientem, ni falcem in a-
 lienam mittam messem: sed bre-
 vissimam duntaxat intra hujus
 provinciæ terminos locatam ac
 limitatam sistere mihi forte lo-
 cus tamen est. Inter se plane conve-
 niunt, si res cum utrisque peractas,
 observamus. Terrores ambo ha-
 buerunt ingentes, examinati sunt
 utriq; hic a nautis, ille a pon-
 tificibus & Præside Romanorū. Hunc
 studerunt nautæ, illum Pilatus con-
 servare: hos actus insecuta est fortis-
 sitio. Passio horum ab utraque parte
 fuit spontanea. Causæ si desiderantur,
 facta sunt hæc destinato Dei consilio
 in

in finem optimum & salutarem. Ut hujus expositio mare sedavit procellosum; ita illius mors iras mitigavit divinas: sepulchrum in ventre piscis triduum habuit Propheta, totidem dies in terra commoratus est Messias. Ad iniustum, a supra nominato Helmstadiensium professore inter prophetam & reges Judæorum adhibitum paralelismum refutandum: & absurdam inde consequentiam remonstrandam, locus esset in foro Theologico commodissimus, cujus rei alio specimine dare exemplum, me non pigeret, ni suppellectilem rei familiaris admodum curtam calamo cursum impedire viderem. Te vero lector humanissime modesta animi contentione obtestor, ut si turpissimæ ignaviæ notam detestaris, & conatum literatorum favore prosequi dignaris, hæc meas dissertatiunculas, Prophetæ Jonæ tam periclitationem quam miram conservationem referentes, ut lima & splendore verborum non expolitas; ita nec felicissimo rerum cum successu partas atque elaboratas solito candore excipere velis. Deum mundi sectorem summum, qui orbis, regnorum & urbium fata pro-

viden-

videntiæ suæ moderamine regit & disponit, supplex veneror & obsecro, ut delictum nostrum Regem serenissimum Fredericum I. sospitem & ab omnibus periculis immunem servare! Conjugem ejus dulcissimam Matrem patriæ & Reginam clementissimam potentissimo suo clypeo protegere! Senatores Proceres & Ordines regni a quovis infelicitatis casu liberare! Reipublicæ denique nostræ singulas provincias præsidio angelorum firmissimo defendere velit! Ne ullus exterus irrepat pestiferus vermis, qui pacis nostræ ricinum, quo jam lætissimi fruimur florenti, quocunque id fiat modo aridum reddat. Absit a nobis ut vitiis tantum indulgeamus! ut ea propter in nos tanquã in Ninevitas animadvertat Numen cœlestē: sed pectora nostra ita regat, ut ad ejus præcepta nostros conformemus mores, & absoluto curriculo hujus vitæ molestissimo ipse viam ad vitam nobis pandat futuram.

(1) *Hobe und Helle sinbilder Jona von den Historien Manassis und Josia &c. Helmstedt 1720* (2) *Matth. 12.39.40.*

